

principem dominum, dominum Maximilianum romanorum electum imperatorem semper Augustum, archiducem Austriae, et illustrissimum et inclytum Dominum ducem et Dominum venetorum componerentur, sedarentur et tollerentur, ac inter eos fieret et concluderetur eorum medio et interventu vera et firma pax et concordia perpetuo duratura, devotumque propterea fuerit, eorum opera et laboribus, ad certum conventum pacis, quam sortituram effectum, Domino concedente, sperandum et tenendum est in brevi, praesertim interveniente reverendo domino Mathaeo electo Gurcensi oratore dicti serenissimi principis Maximiliani imperatoris electi semper Augusti, qui de proximo venturus speratur cum plenissimo mandato et auctoritate, paternis igitur admonitionibus et exhortationibus praelibati sanctissimi domini nostri Julij papae secundi et dicti serenissimi et invictissimi Regis Catholici, dicti principes et Dominum moti ne ante conclusionem dictae pacis et interim, inimico humani generis operante, aliquid contingat durantibus dictis bellis et dissensionibus inter eos, quod dictae pacis ineundae conclusionem et confectionem difficiliorem redderet, et eam aliquo modo turbare possit et impedire, ad infrascriptam treugam eorum nomine faciendam, per suos procuratores devenire decreverunt.

Hinc est, quod hodie die sexta mensis aprilis, millesimo quingentesimo duodecimo, pontificatus praelibati sanctissimi domini nostri domini Julii papae secundi anno nono, in ejus conspectu et ante pedes, in praesentia reverendissimorum in Christo patrum domini Antonii de Monte tituli sancti Vitalis, et domini Petri de Acoltis tituli sancti Eusebii, praesbyterorum cardinalium, et praesente me Melchiorre de Campania, camerae apostolicae notario rogato, personaliter constituti magnificus et hornatissimus eques dominus 48\* Hieronymus de Vich, praelibati serenissimi et invictissimi Regis Catholici orator, tamquam nuntius et procurator serenissimi et invictissimi principis domini domini Maximiliani electi imperatoris semper Augusti, habens ad hoc sufficiens et legitimum mandatum ab eodem domino imperatore ex una, et magnificus dominus Franciscus Foscarius eques, orator, syndicus et procurator illustrissimi principis domini Leonardi Lauredani ducis et incliti Domini Venetiarum, habens ad hoc speciale et sufficiens mandatum partibus ex altera, quorum mandatorum tenor sequitur et est talis :

Maximilianus divina favente clementia electus romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniae, Hungariae, Dalmatiae, Croatiae, etc. rex, ar-

chidux Austriae, dux Burgundiae, Brabantiae, etc., comes Palatinus etc. et subdit, et est datum in oppido nostro Sterzing die 28 novembris 1511, subscripto manu imperatoris et scripto manu Sertainer secretarii; aliud vero mandatum incipit : Leonardus Lauretanus Dei gratia dux Venetiarum etc. cum Senatu nostro, datum in ducali palatio die 28 mensis februarii 1511, indictione . . . , ut in eo.

Nomine et vice dictorum suorum principalium devenerunt, consenserunt et concluserunt et firmaverunt treugam et inducias inter eorum principales et dominos inviolabiliter et firmiter observandas infra terminum infrascriptum, sub modis, conditionibus et capitulis ac poenis infrascriptis sequentibus, eorumque principales observaturos inviolabiliter promiserunt.

In primis convenerunt dicti procuratores, nominibus quibus supra, quod a praesenti die et per totum mensem Januarii proxime futuri et non ultra, inter serenissimum imperatorem Maximilianum electum ex una, et illustrissimum dominum Ducem et Dominum venetorum partibus ex altera, de omnibus bellis, discordiis et differentiis inter eos quomodolibet vertentibus, sint verae, firmae et indubitatae treugae, induciae et cessationes ab armis inter eosdem principes et dominos et illorum subditos, duces et milites, dominia, loca et terras; ita quod hinc inde, nulla penitus alteri molestia vel aliqua vis inferatur vel fiat in bonis vel personis, rebus in eodem statu et terminis remanentibus, in quibus in omnibus et per omnia ad praesens reperiuntur et sunt.

Item, convenerunt quod dictae treuga et induciae, ut supra deductae, durent inter dictas partes a die praesentis stipulationis usque et per totum mensem Januarii proxime futuri et non ultra, vel usque ad diem pacis perpetuae ineundae inter dictas partes, si illam infra dictum tempus fieri contingerit, ut speratur. Quae treuga et induciae expirare et cessare intelligantur et spirent ipso facto, elapso dicto termino, absque intimatione sive disdicta, nisi infra dictum tempus sequatur pax, et remaneant dictae partes hinc inde liberae in eisdem terminis in quibus sunt ad praesens.

Item, convenerunt praefatae partes, quod dictus 49 illustrissimus dux et inclytus Dominum venetorum debeant solvere et actualiter numerare dicto serenissimo domino Maximiliano electo imperatori, vel ejus legitimo procuratori, summam et quantitatem quadraginta millium ducatorum auri largorum boni auri et iusti ponderis, in ducatis auri sive in . . . rensibus auri boni et iusti ponderis, qui dictam sum-